



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

[LIII. Ignis vrens, sed non comburens.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

ipsi, quàm omnibus eum intuentibus, impossibile videretur. Unde, quod ab homine fieri desperabat, ab eo, cui nihil est difficile, sed solus restaurat vniuersa, per Beati HENRICI patrocinium, fide firma, spe solida, quærens; eius misericordiæ ianuam fletibus assiduis, ieiuniis crebris pulsauit, & tandem in formam pristini gressus restitui meruit.

## CAPVT LII.

*Mulier surda & muta & audiendi & loquendi facultatem recipit.*

**I**N pago quodam miliari vno à Merseburgensi castro distante, mulier surda & muta ab exordio natiuitatis suæ, à propinquis & ciuibus, misericordiæ sinu fouebatur. A quibus, ad Ecclesiam perducta, nutibus & signis, quibus erga eam uti possibile fuit, ante beati Confessoris reliquias prona sterni iubebatur. Sed illa iumento insipienti similis, pro se nil rogare nouerat; vel quod essent reliquæ, aut quid gereretur, penitus nesciebat: cui tamen fidelium pro salute eius in commune supplicantium oratio, fidesq; subueniebat, & per Beati HENRICI suffragia, ut ipsa postea testabatur, in utroq; corporis officio reformari meruit ex integro.

## CAPVT LIII.

*Ignis urens, sed non comburens.*

**V**M excubiæ sacræ à fidelibus circa thesaurum incomparabilem sine intermissione fierent, ita ut aliis recedentibus, aliis venientibus, die noctuq; fores Ecclesiæ non clauderentur, custos Ecclesiæ inter oues, lupos, sub vellere ouium latentes, non facile agnoscere considerans, auferri furtim reliquias metuebat. Ad quod præcauendum ex quadris lapidibus, factis satis habili reconditorio, eas in illo locauit. Cui etiam ostiolum ex pino, quod, causa poscente, claudi & aperiri posset, imposuit. Nocte ergo quadam, infra Cursum, matutinum lumē incautius eidem apponens.



ponens, chorum, quem studiosius aliis frequentabat, ingreditur: sed paulò post fumum sentiens, & quid acciderit, animo præfago concipiens, ad locum festinus reuertitur: inuenitq; ostiolum à flamma tangi & fumum dare, sed non lædi. Cuius hæc meritis, nisi eius, cuius illic reliquiæ seruabantur, possunt adscribi? Poterant quidem, absq; ligni & lapidis repositione, à raptu alieno, ipso mediante, seruari: sed pius Confessor DEI, laborem & studium deuotè sibi obsequentium, noluit incal-fum deperire; ne, vel in paruo detrimento ianux viderentur contristari, ideoq; in ligno, foci vsui apto, vim virtutis suæ ignem à DEO obtinuit obliuisci.

## CAPVT LIV.

*Energumena liberata. Conclusio miraculorum.*

**M**ulier arreptitia de restibus connexa manus coram prædicto reconditorio, licet multum renitens, sistitur. Quæ, damone mugitum in aëra dante seque ab HEINRICO torqueri vociferante, satis ipsa torta liberatur. Visum est illi, vt præsentibus referebat, quendam capite cano, barba proluxa, veste amictum regia, ex eodem loco processisse, & à se spiritum nequam pugnis & minis extorsisse.

Verùm, si cuncta sigillatim, quæ diebus singulis facta sunt miracula persequi voluero, tempus me prius, quàm materia deseret: præsertim cum numero possibilitatem excedente, custos ipse Ecclesiæ, qui omnibus ferè intererat, pauca de multis memoriæ tradere se potuisse perhibebat.

Hoc solùm hîc omittendum non est, quod de calice aureo, de quo supra dictum est, quem ob speciale deuotionis suæ indicium idem Imperator Beato Laurentio confici iusserat, febricitantes, aquæ, vel alterius liquoris haustu, curantur: præstante Domino nostro IESU Christo, qui cum DEO Patre & Spiritu sancto viuunt & regnat DEVS per infinita sæcula seculorum Amen.

RESCRI-